

Disseminationes hoc volumine contentae.

1. Geminae quaestiones in iure publico et in re libera tractatae quas praesentavit Petro Leopoldo. S. N. D. examinandas proposuit Andr. Petrus Wolffm. Regiomont. Franc. Jenae.
2. Juris aliquot emendata, quas praesentavit Heinrico Bocero Jr. pro Doctoratibus in utroque Jure in signis n. g. sequendis publicis disputationibus subiecit Georgio Wolfgango Hilbornmanno, Neuwirg. Palatinus Tubingae.
3. Propositiones Juris praesentavit quas publicis disputationibus examinandas proposuit Christophorus Treibisig S. N. D. Resp. Conrado Casp. Bovio, Wittenberg. Lipsiae.
4. Dissertatio ad tit. 5. et 6. libri 2. ff. quam praesentavit Christophoro Bezdlo Jr. disputationibus examinandas proposuit Burkhardus Ehinger, Tubingae.
5. Diss. de Jure Naturae praesentavit Johanne Gyphandro S. N. D. defensa a Georgio von Broy, Akenburg. Tuberae Fr. Jenae.
6. Diss. de necessitate defensionis, praesentavit Heinrico Bocero Jr. proposita a Daniele Rantow. Tubingae.
7. Conclusiones de Jurisdictione, quas eodem praesentavit Dominico J. B. de Wrozzio in signis n. g. sequendis causis publicis censuras subiecit Johannes Georgius Halbitter. ibid.
8. Assertionem legalem de transactione quas praesentavit Petro Theodoro S. N. D. pro gradu Doctoratus in utroque Jure in signis n. g. sequendis examinandas proposuit M. Georgius dist. Lips. Jenae.
9. Diss. de transactionibus, praesentavit Johanne Harprecht. Jr. pro summo in utroque Jure gradu in signis n. g. sequendis publicis examini submissa a Georgio Langen. ibid. Tubingae.

Disputatio⁸ Juridica 37

DE

SOLUTIONE OBLIGATIONIS
EX CONTRACTU.

QVAM

Divinâ favente gratiâ,

AUTORITATE ET CONSENSU AMPLIS-
simi Iurisconsultorum Ordinis in illustri Academia
Tubingensi,

SUB PRÆSIDIO

Nobilis, Amplissimi & Consultissimi Viri,

Dn. CHRISTOPHO-
RIBESOLDI, IC. ET ANTE-
CESSORIS IN EADEM TUBINGENSI
Univerſitate longè Celeberrimi, Præceptoris & Patroni
ſui ſummè colendi,

Ad diem XXVI Auguſti.

*In Auditorio ꝑ Ctorum publici exercitiij gra-
tiâ pro ingenij tenuitate defendere cona-
bitur.*

Christophorus Henischius
Augustanus.

OS SO

TUBINGAE,

Typis Theodorici V Verlini,

ANNO M.DC.XV.

NOBILIBUS, EXPERIEN-
tissimis & undecunq, Clarissimis Viris,

Dn. IOHANNI MAT-
THÆO STAMLERO, Iu-
dicii in inclyta Rep. August. Assessori in-
tegerrimo, Consiliario eiusdem bellico
fidelissimo.

Dn. DANIELI BEMERO,
civi in eadem Primario.

Dn. GEORGIO HENISCHIO,
Medicinæ Doctori, ac eiusdem Reip. Mathematico
& Bibliothecario.

Dnn. Mæcenatibus & parenti omni honoris
ac observantia cultu æternùm prose-
quendis.

Hanc qualem-qualem *Δίξιν* Juridicam

I N

Grati animi τεκμήριον,
Studiorum testimonium,
Et eorundem ulteriorem promotionem.

Dicat, consecrat

Autor & Respondens.

I.

Diputatio Iuridica,

DE

SOLVATIONE OB- LIGATIONIS EX contractu.

ASSERTIO I.



SOLVATIO in jure duplex est; una obligatio-
nis ex delicto, altera obligationis ex contractu.
(a) De hac posteriore impræsentiarum paucis a-
gere constitui: Quæ dupliciter rursus accipi-
tur; largè, pro qualibet liberatione: (b) strictè &
propriè, pro eius, quod debetur, naturali eaque
justa præstatione. (c)

a) *Vult. lib. 1. Jurispr. Rom. c. 52. & seq. Idem in pr. Inst. quib. mod. toll. obl. (b) qua significatione solutiones etiam dicuntur compensatio. l. 4. ff. qui pot. in pign. hab. Acceptilatio, §. 1. Inst. quib. mod. tol. obl. l. pen. ff. de sol. Novatio, l. 21. §. Lucius in fin. ff. de ann leg. Delegatio, l. 8. §. interdum 3. ff. ad SC. Velleian. quin & deniq; satisfactio, l. 176. ff. de V. S. quæ tamen a-
lioquin, exceptâ solutione, reliquos tantum liberandi ab obligatione
modos complectitur, l. solutam 49. in fin. ff. de sol. l. si non obtulit 4. §. ait
Prætor 3. ff. de re iud. Briss. l. 1. de sol. p. 296. VVesemb. in parat. ff. de sol. in
prin. Borch. Comm. ad tit. de reb. cred. c. 7. n. 67. Vult. ad pr. Instit. quib. mod.
tol. obl. Göd. ad. l. 54. ff. de V. S. (c) cl. & obs. Dn. Prac. D. Bocer. class. 4. disp.
19. thes. 19.*

2. In hac spectandum est primùm, quis solvere possit, & cui:
deinde quid solvi debeat: tum quo modo, loco & tempore sol-
vendum sit: deniq; quis huius solutionis sit effectus.

3. Solvere potest, eique solvi, qui rerum suarum administra-
tionem habet. (a) Unde qui sub tutoribus, aut curatoribus de-
gunt; quales sunt pupilli, (b) minores, (c) furiosi, (d) prodigi, (e)

A 2

aut

aut qui dominorum patrumq; manui subjecti sunt, ut servi & filii. (f) sine eorum, à quibus reguntur, autoritate & consensu solvere; &, ut creditores liberentur, solutionem recipere nequeunt.

a) *l. quod si forte* 14. §. 1. & *l. seq. ff. de sol.* (b) Qui ut nihil sine tutoribus suis alienare possunt, ita nec solvere, *l. obligari* 9. §. *pupillus* 2. ff. de *autor. & cons. tut.* §. *ult. Inst. quib. al. lic. vel non lic.* & ideo si solvāt, nummi accipientis non fiunt, sed vindicari possunt: plane illis à creditore bonâ fide consumptis, utilitatis gratia liberantur, *d. l. 9. §. 2. ff. de aut. & cons. tut. d. §. ult. Inst. quib. al. lic. vel non. l. 14. §. fi. ff. de solut. l. rogasti* 1. §. *fin. l. non omnis* 19. §. 1. ff. de *reb. cred. Briss. l. 1. de sol. p. 300. Pac. cent. 3. évavlio* 9. 68. Eadem etiam ratione nec ipsis, ut liberentur creditores, sine tutoribus solvi potest. *l. 15. ff. de sol. §. 2. Inst. quib. al. lic. vel non lic. ubi Schneid. nu. 4. & seqq. VVesenb. n. 3. & 4.* Quod si tamen pupilli debitum denuò petant, pecuniâ solutâ adhuc salvâ, vel inde locupletiores facti, (id quod spectatur tempore litis contestatæ. *l. 47. ff. de sol. l. 37. ff. de neg. gest.*) exceptione doli repelluntur. *d. l. 15. ff. de sol. d. §. 3. vers. sin autem. Inst. quib. al. lic. & ratio est in l. 206. ubi Matthæus ff. de R. I.* Locupletiores autem facti etiam censentur, si ex eâ pecuniâ aliam sibi rem comparatam habeant, *l. 4. ff. de except. aut inde consecuti fuerint, ne de suo fierent pauperiores, l. 47. ff. de sol. Don. l. 16. Com. de iure civ. cap. 10. & ibi Hillig. lit. G. Briss. lib. 1. de sol. p. 307.* (c) Idem enim est in minoribus, qui curatores habent, quod in pupillis, quibus, ut & prodigis atq; furiosis, quoad bonorum administrationem æquiparantur, *l. 3. ubi gl. in verbo adsimilis C. de in integr. rest. §. 3. & ibi VVesenbec. Inst. quib. al. lic. vel non. Goed. de contrab. & com. stip. cap. 7. concl. 14.* Quod si minores curatores non habentes solvant, læsi in integrum restituuntur, *d. l. 3. C. de Min. cl. & obser. Dn. Prac. D. Harpp. part. 2. disp. 15. th. 3. lit. B.* (d) qui & cum consensu curatorum à solutione repelluntur, *arg. l. 5. & l. 40. ff. de R. 7.* (e) *l. his qui* 12. ff. de *tur. & cur. dat. ab his.* (f) nisi peculium habeant, eiusque administrationem *l. 18. l. 84. ff. de sol.* aut mutuis dandis exigendisq; pecuniis præpositi sint. *l. 94. §. 1. ff. d. tit.*

4. Hinc & rei perduellionis, (a) repetundarum, (b) aut læsæ majestatis, (c) quibus post admissum crimē bonorum administratio interdicta est, (d) cum liberationis effectu, nec ipsi solvunt; nec ab aliis solutum accipiunt.

a) *l. 31. §. fin. ff. de Don. l. fin. C. ad L. Jul. Maiest.* (b) *l. ex iudiciorum* 20. ff. de

De solutione obligationis ex contractu. 3

ff. de Accus. (c) d. l. 20. l. 5. §. 4. C. ad L. Jul. Maieft. (d) l. fin. C. ad L. Jul. Maieft. Briff. lib. 3. de sol. p. 300. In alio vero reatu constitutis solvere. l. 4. l. 1. & l. seq. ff. de sol. ipsisq; solvi nullo jure interdicitur, l. 4. l. 1. ff. eod. l. 46. §. in reatu ff. de iure fisc. nisi sceleris conscientia perterriti aufugerint, quibus non rectè solvitur, l. fin. C. de requir. reis. Briff. d. lib. 3. de sol. p. 305.

5. Nihil verò interest, an ab ipso debitore, (a) vel ab alio eius nomine solutio præstetur. (b) Atq; utrum alius ille ex mandato debitoris solvat, (c) vel sine mandato, & sic pro ignorante, aut invito debitore. (d)

a) Qui aut ipse debitum contraxit, aut in se ab alio contractum suscepit, veluti fidejussor. l. 24. ff. de sol. debitor delegatus l. 12. ff. de Novat. l. 5. C. eod. constituens l. 21. §. ult. ff. de const. pec. hæres, seu bonorum possessor, ad quos defuncti promissio sive in dando, sive in faciendo consistat, descendit, l. 25. ff. de sol. l. fin. C. de contrab. & com. stip. l. 38. vers. obligatio ff. de V. O. Ant. Gom. lib. 1. var. res. cap. 11. nu. 12. & seqq. Gæd. de contrab. & com. stip. cap. 9. concl. 8. nu. 145. cl. & obs. Dn. Prac. D. Harpp. part. 2. disp. 12. thes. 4. Bronchorst. cent. 4. quæst. 47. Vtrum autem usufructuarius omnium bonorum ad æs defuncti solvendum teneatur, quaeritur? Teneri nos negamus, per l. 69. ff. ad L. Falcid. l. ult. ff. de usufr. leg. l. 1. C. si cert. pet. l. 2. C. de hered. pet. Alex. Trentacinq. præct. res. lib. 1. tit. de peculio. Resp. 6. Bronchorst. c. 1. misc. q. 49. ed. 2. Dissentit Bart. in l. fin. de usufr. leg. Porro cum plures sunt rei debendi, in solidum singuli & veteri & novo jure tenentur, l. 3. §. ult. l. eandem §. ult. ff. de duob. reis. cl. & obs. Dn. Prac. D. Bocer. cl. 2. disp. 15. thes. 77. & th. 80. Accurs. & Cuiac. Bronch. cent. 4. contrav. quæst. 51. Diss. commun. Dd. ex Auth. hoc ita C. de duob. reis. Nov. 99. Et uno ex illis pro parte convento, nihilominus idem, vel alter in reliquum conveniri potest, text. in l. si ex toto §. 1. de leg. 1. l. inter eos §. 1. ff. & l. 23. C. de fideiuss. cl. & obs. Dn. Prac. D. Bocer. cl. 2. disput. 15. thes. 86. qui in utramq; sententiam plures allegat, (b) princ. Inst. quibus mod. tol. obl. l. 5. l. 17. C. de sol. (c) l. 49. l. 56. l. 64. ff. de sol. l. 180. ff. de Reg. Jur. Cuius quoque generis est procurator generalis, l. 59. ff. de Procur. l. 87. ff. de sol. qui tamen, ut solutum repetere possit, ea tantum debita, exemplo debitoris, solvere debet, quæ exactioem habent, non quæ solam retentionem, l. 94. §. 3. in fin. ff. de sol. (d) l. 23. l. 40. l. 53. ff. de sol. Naturali namq; & civili ratione receptum est, licere etiam ignorantis & inviti conditionem meliorem facere, l. 39. ff. de neg. gest. Briff. lib. 1. de sol. p. 301. Borch. ad princ. Inst. quib. mod. tol. oblig. Phil. Matth. ad l. 69. ff. de R. 7. Hottom. ill. quæst. 16. Quamquã vero debitor indistinctè per utrumq; ipso jure ab

obligatione liberetur, *d. princ. Inst. quib. mod. tol. obl.* ille tamen, qui pro invito solvit, nullam eius, quod impendit, repetitionem habet. *l. 53. ff. mand. l. fin. C. de neg. gest. videatur Trentacinq. pract. res. lib. 2. tit. de procur. res. 6.* Qui vero pro ignorante, siquidem utiliter & è re debitoris solvit, actione negotiorum gestorum solutum repetere potest, *l. 43. l. fin. ff. de negoc. gest.*

6. Quin igitur etiam alius pro emphyteuta canonem solvere possit, quo minus in commissum cadat emphyteusis, nullum nobis dubium est.

Quia generaliter obligatio solutione eius, quod debetur, tollitur; nec interest, quis solvat, utrum ipse qui debet, vel alius pro eo, *pri. Inst. quib. mod. toll. obl.* Præterea, quia in jure nusquam cautum extat, quod non nisi emphyteuta canonem præstare debeat: sed contrarium potius *ex §. 3. Inst. de Locat. & cond. evincitur. Schickzard. disp. 16. th. 2.*

7. Similiter nec refert, utrum ipsi creditori, (a) vel alii eius nomine, nempe tutori, (b) procuratori, (c) aut servo negociis præposito, (d) qui omnes in rebus creditoris administrationem habent, & loco domini censentur, debitum solvatur.

a) Quod si duo sunt in solidum rei credendi constituti, alterutri solvens debitor totâ obligatione liberabitur, *l. 3. in fine ff. de duob. reis. Vult. l. 1. Jur. Rom. c. 53. nu. 40.* Heredi creditoris, qui in jus obligationis succedit, rectè quoque solvitur, *l. 104. ff. de sol. (b) quamdiu scilicet in administratione versatur, l. 46. §. tutelæ 5. ff. de adm. tut. l. 14. §. 2. ff. de sol. & cuicumque, tam honorario, aut rei notitiæ gratia dato, quàm ad hoc dato, ut gerat. Omnes enim tutores sunt, & administrationis periculo tenentur, l. 14. §. 1. ff. de sol. l. 3. §. 2. ff. de adm. tut. l. 1. C. de peric. tut. Ut ut vero debitores tutoribus tempore administrandæ tutelæ solventes ipso jure liberentur, l. 46 §. ult. ff. de adm. tut. attamen ex solutione læsi pupilli in integrum restituantur. l. 1. ubi gl. C. si advers. sol. Schneidewin. ad §. 2. nu. 6. Inst. quib. al. lic. vel non. Itaque plenissimam tum demum consequentur liberationem, si secundum Justiniani Constitutionem *in l. 25. C. de adm. tut.* iudicio præcedente sententiâ debitum exsolverint. Quâ tamen judiciali sententiâ opus non est in solutione annuorum reddituum, pensionum, & usurarum. *d. l. 25. Cod. de adm. tut.* Cæterum protutori quod solutum est, nisi in pupilli rem pervenerit, liberationem non adfert, *l. 28. ff. de sol. Hilliger. ad Donell. lib. 16. comm. de iur. civ. cap. 10. lit. L.* Atque hæc omnia etiam de curatoribus furiosorum,*

De solutione obligationis ex contractu. 5

rum, prodigorum, mutorū, &c. dicta existimanda sunt, *l. 14. §. curatori. 7. ff. de sol. l. 17. §. pen. ff. de iureiur. (c)* tam generali *l. 34. §. 3. ff. de sol. l. 16. de cond. ind. l. 11. l. 12. ff. de pact.* quàm speciali, id nempe debitum, de quo mandatum habet, *l. 12. ff. de solut.* & ei, qui vendendæ, vel locandæ rei propositus est, *l. 35. ff. de sol. Bart. in l. 88. ff. eod. Decian. in consil. 330. num. 3. Fachin. lib. 2. controu. cap. 93. contradicunt Ludov. Rom. sing. 23. & in consil. 461.* Non tamen constituto ad exigendum, suum mandatum / quia speciale mandatum ad accipiendam pecuniam non habet, sed potius ex interpretatione, quæ in materia mandatorum, utpote stricti juris, non facile admittuntur, *Schick. disput. iust. 16. thes. 3. quæst. 2.* nec litis procuratori, *l. 22. l. 86. ff. de sol. aut falso, l. 12. l. 35. §. 1. ff. eod.* nisi pecunia illis data ad creditorem pervenerit, *l. 28. l. 34. §. si prædo 9. ff. de solut. aut creditor solutionem ratum habuerit, l. 34. §. 6. ff. eod. clariss. & obser. Dn. Præceptor D. Harpprecht. part. 2. disput. 15. thes. 6.* Tam diu autem vero procuratori solvi potest, quam diu mandatum durat, & creditor vivit: verum mandato revocato, aut mortuo creditore, debitor si sciens solverit, ab obligatione se non eximit, *dict. l. 12. §. 2. l. 18. l. 32. ff. de sol. (d) l. 18. ff. de sol. l. 7. §. 1. quib. mod. pign.* idque rursus quam diu creditor vivit, & servus in administratione versatur, *l. 51. ff. de sol. l. 41. ff. de reb. cred. si cert. pet.*

8. Sed & ei rectè solvitur, cui creditor vel in ipsa stipulatione: (a) vel extra eam (b) debitum solvi mandavit.

a) Cuiuscunque sit ætatis & status, *l. 9. §. 11. l. 95. §. 7. ff. de sol.* etiam invito creditore, *l. 12. §. 3. ff. eod.* Itaque soli pupillo adjecto sine tutore utiliter solvetur, *d. l. 11. de sol.* Cum enim solutionis causa in contractu adjecto jus obligationis nullum quærat; sed acceptam pecuniam creditori restituere incumbat: non multum de eo laboramus, acceptamné ille pecuniam profusus ac perditurus sit, quàm deperditâ nullam de suo jacturam fecit: Et ideo de se stipulator potius queri debet, quod huiusmodi personam stipulationi adjecit. *argum. l. denique §. ultim. ff. de minor. Briss. lib. 1. de solut. pag. 318. Stracha de adjecto p. 3. num. 16. Donell. ad l. 55. de verb. obl. nu. 8. & com. de iure Civil. l. 16. c. 11. ubi Hilliger. sub liter. Q.* Ipsi autem adjecto, non eius heredi, *leg. 81. in princ. ff. de sol. l. 55. ff. de V. O. non domino servi, l. 9. princ. ff. de sol.* nec tutori pupilli solutioni adjecti, *leg. 95. §. 7. ff. eod.* rectè solvitur. Finitur hæc potestas solvendi adjecto, si creditor pecuniam à debitore petierit, litemque cum illo contestatus fuerit, *l. 57. §. 1. ff. de solutioni.*

Vel

Vel si eam debitor postea soli creditori solvere constituerit. *l. 8. ff. de const. pec.* Magna hic est controversia, an etiam solvendi potestas adjecto capitis deminutione auferatur? Quod de tali affirmamus quæ in deteriore statum mutat, veluti servitute, deportatione, arrogatione, *l. 38 prim. ff. de sol. Hillig. ad Donell. lib. 16. com. de 7. C. cap. II. lit. Q. Vasq. 2. contr. usufr. c. 2. n. 8. Trentl. vol. 2. disp. 29. th. 3. lit. A. circ. fin. Hæn. disp. Just. 17. th. 25. Bronch. cent. 4. assert. 64. (b) l. 49. ff. de sol.* Cui tamen si postea creditor solvi vetuerit, debitor sciens non rectè solvit, *l. 12. l. 18. l. 32. ff. d. tit. Don. l. 16. com. de 7. C. cap. 10.*

9. Alii autem sine mandato creditoris utiliter non solvitur. (a) Hinc dubia movetur quæstio; Utrum, si debitor creditori sui creditoris solverit, eo ignorante, neque ratum habente, solutio hæc debitori ad liberationem proficiat? Et ope exceptionis, non ipso jure proficere statuimus, (b)

a) *l. 24. ff. de neg. gest. nisi creditor ratum habeat. l. 12. l. 13. l. 49. ff. de sol. (b) l. si opera 6. l. 16. de dol. mal. exc. arg. l. 36. in princ. ff. de neg. gest. l. 11. §. solutam. de pig. act. l. 20. §. 1. de bon. lib. l. 66. in princ. de sol. cuius rei ratio videtur tradi in l. 15. de R. 7. Bart. in l. non solum §. ult. ff. sol. matrim. & in l. solutum §. solutum ff. de pign. act. Schreid. ad §. 1. nu. 6. Inst. quib. mod. toll. obl. Niell. disp. Just. 27. th. 26. Vult. 1. Jurispr. Rom. c. 53. n. 53.*

10. Videndum nunc, quid debeat solvi: ubi diligenter attendendum est, quid in obligationem deductum sit, res, an factum: & rursus res, an in quantitate, vel in genere, vel in specie, aut alternatim: & denique utrum ut detur, vel ut tradatur. Vulgata enim juris nostri axiomata sunt; solutione eius, quod debetur, obligationem tolli: (a) Nec cogi creditorem aliam rem pro alia accipere; (b) nisi vel hoc singulari favore certarum causarum receptum sit, (c) vel res debita haberi non possit. (d)

a) *princ. Inst. quib. mod. toll. obl. (b) l. 2. §. mutui ubi gl. & Dd. ff. de rebus cred. si cert. pet. l. 46. ff. de sol. l. 16. l. 17. ad quas Donellus C. eod. l. 9. §. 3. de pign. act. l. 4. §. 3. de re iud. Bronchorst. controu. quæst. c. 4. assert. 65. Volenti tamen creditori quælibet res in solutum dari potest. l. 6. C. de O. & A. Vult. l. 1. Jur. Rom. c. 53. quæ datio irrevocabilis est, l. 14. C. de pig. l. 10. C. de solut. & venditioni æquiparatur, l. 6. C. de evict. l. 24. ff. de pign. Alex. Trentacing. præct. resol. lib. 3. res. 28. nu. 4. tit. de sol. Utrum vero datio hæc*

in

De solutione obligationis ex contractu. 7

in solutum revocari possit, quando debitor per errorem maioris precii rem in solutum dederit, non omni dubio caret? Nos affirmantibus ad stipulamur, si debitor plus se debere credidit, quam erat in obligatione, *Bart. de Castro. Jason & alij in l. si non sortem 26. §. si centum 4. ff. de cond. ind. Trentac. d. Resp. 28. nu. 6.* Negantium vero sententiam subscribimus, si debitor quidem quantitatem debiti scivit, verum erravit in rei in solutum datæ æstimatione. *Idem Paul. de Castro. Jas. & alij in d. l. si non sortem 26. §. si centum ff. de cond. ind. l. Imperator 70. §. si centum ff. de Leg. 2. Vivius in opin. 174. Trentac. d. res. 28. nu. 10. in fine.* Decepto tamen ultra dimidium justii precii remedio, *l. 2. C. de resc. vend.* succurri censemus, *Viv. in opin. 174. nu. 5. Trentac. d. res. 28. n. 10. in fin.* Cæterum licet debitor quamlibet rem in solutum dare possit: tamen cum creditore convenire non potest, sive ab initio contractus, *l. ult. C. de pact. pig.* sive post, *argum. l. 45. ff. de sol. d. l. ult. C. de pact. pignor.* ut, si intra certum tempus pecunia ei soluta non esset, creditor pignus in solutum habeat. *Bald. tract. de pignor. cap. 17. & Mudæus eod. tract. c. pact. leg. com. p. 336. & seq. cl. & obser. Dn. Præceptor D. Bocer. class. 2. disp. 12. thes. 35. clar. quoq. & obser. Dn. Præceptor Dn. Harpprecht part. 2. disp. 6. thes. 17. (c) Legato scil. l. 71. §. qui confitetur 3. ff. de Leg. 1. l. 14. §. fin. ff. de leg. 3. Donatione l. 34. §. 3. C. de donat. Bonorum divisione, l. 11. C. com. utr. ind. causa noxali, l. 6. §. 1. ff. de re ind. Althus. l. 1. Jurispr. Rom. 69. Coras. l. 2. misc. 3. nu. 8. (d) Vnde si debitor pecuniam, quam debet, non habeat, nec possessiones suas æquo precio vendere possit: creditor, eas in solutum, justâ tamen æstimatione, accipere à magistratu compellitur. *Novell. 4. §. fin. Novell. 120. Auth. hoc nisi C. de solut. Coras. d. loc. Briss. lib. 1. de sol. p. 329. & seq.**

11. Qui igitur quantitatem debet, rem alterius generis & bonitatis; (a) vel alio, quam debet, pondere, numero & mensura solverenon potest. (b) Neque enim pro tritico mutuato, vinum: (c) aut pro vino veteri, novum invito creditori jura restitui permittunt. Sed nunquid loco frumenti, aut vini mutuo dati, creditor æstimationem & pecuniam recipere cogitur? Quod extra casum necessitatis (e) negamus. (f)

a) *l. 2. in princ. & §. 1. l. 3. ff. de reb. cred. si cert. pet. l. 1. §. re contrahitur, ff. de O. & A. (b) l. 11. §. si tibi dedero ff. de reb. cred. si cert. pet. l. 17. in princ. ff. de pact. (c) d. l. 2. in prin. de reb. cred. (d) d. l. 3. ubi Donell. & alij, ff. eod. Quod autem vetus sit vinum, ex l. 11. & l. seq. ff. de trit. vin. ol. leg. innotescit, & docet Donell. in d. l. 3. in fine. Trent. vol. 2. disp. 20. thes. 11. sub liter. B. (e) Novell. 4.*

B

vell. 4.

vell. 4. c. 3. ubi Cuiac. (f) Aliud enim, quàm quod debetur, solvi non posse superius ostensum est. Atqui in mutuo res in eodem genere debetur, *l. 2. in princ. ff. de reb. cred.* Pecunia autem & frumentum diversi sunt generis. Aliud namque merx est, aliud precium: *l. 1. ff. de contrah. empt. l. 1. in prin. ff. de rer. perm. V esenb. in parat. ff. de reb. cred. nu. 12. vers. ego tamen magis. clar. Dn. D. Harppr. Præc. mens colendus part. 2. disp. 2. th. 14. Non in princ. Institut. quib. mod. re contrah. oblig. Bronchorst. cent. 2. assert. 20. edit. 2. contrarium tenent Jacob. de Arena, & Curt. ad l. 2. §. 1. ff. de reb. cred.*

12. De pecunia numerata plurimum hinc controversi solet: An & ea in eodẽ genere, quo accepta est, solvi creditori debeat? Negativè concludimus, (a) si creditor nullum inde damnum passurus sit: (b) nec de eodem monetæ genere restituendo, ab initio inter contrahentes convenerit. (c)

a) Non enim corpus, sed valor & æstimatio pecuniæ credita censetur, arg. *l. 1. in prin. ff. de contrah. empt. l. 94. §. 1. ff. de sol. l. 19. §. 2. ff. de cond. indeb. l. 24. ff. de pos. l. 5. de impens. dot. l. 95. in fine, ff. de Leg. 3. l. 10. in princ. de accept. quæ si in alia monetæ specie redditur, quid ni id ipsum quod debetur solutum erit? Facit huc quoque *l. 65. §. 1. ff. de V. O. Hottom illustr. quæst. 15. Don. ad l. 3. nu. 10. ff. de reb. cred. Treutler. disput. 20. thes. 12. lit. A. vol. 1. Vult. l. 1. Jurispr. Rom. c. 53. nu. 83. Fachin. l. 2. contro. iur. c. 49. apud quem dissentientes multos videbis. clar. Dn. D. Harpprecht. part. 2. disputat. 2. thes. 15. (b) *l. 99. ff. de solut. c. olim 20. extr. de cens. (c)* Tum enim lex contractus servanda est. *l. 23. ff. de Reg. jur. Gothofred. ad l. 3. ff. de rebus credit.***

13. Alia hinc quotidiana & ardua occurrit quæstio. Valore pecuniæ creditæ mutato, utrum illa in ea æstimatione, quam tempore habuit contractus: an vero quam tempore solutionis sortita est, creditori restituenda sit? Et tempus contractus attendendum esse verius nobis videtur.

1. Quoniam in mutuo res in eadem bonitate, qua accepta est, creditori reddi debet, *l. 3. ff. de reb. cred.* Ergo pecunia in eadem quoque æstimatione, utpote extrinseca illius bonitate, qua accepta, creditori reddi debet. 2. Deinde quia obligatio ad pecuniam dicitur esse certa, *l. 3. ff. de in lit. fur. l. 1. ff. de cond. tritic.* Certa vero dici non posset, si ea æstimatio, quam pecunia tempore solutionis habitura est, in obligationem duceretur, cum quam incerta sit, quotidiana doceat experientia.

Tertio

De solutione obligationis ex contractu. 9

Tertio facit huc *l. Rutilia Polla 69. ff. de contrah. empt.* ubi dicitur in contractibus eam æstimationem inspiciendam esse, quæ fuit tempore contractus. Tuentur hanc sententiam *Molin. in tractat. de usur. quest. 92. num. 664. Hottom. ill. quest. 15. Mynsinger. cent. 4. observ. 1. clar. Dn. D. Harpprecht. part. 2. disp. 2. thes. 16. Bronchorst. cent. 2. assert. 8. Arum. disput. 12. exerc. 11. Dissentit Fachin. l. 2. controvers. cap. 9. Elias Robert. disput. 14. thes. 3. Ant. Fab. de re num. clar. & observ. Dn. Præcept. D. Bocer. in tract. de re mun.*

14. Porro genere in obligationem deducto, debitor quamlibet generis speciem solvere potest: (a) ita tamen, ut speciem, quam solvit, pleno jure creditoris faciat. (b)

a) Si ex contractu obligatio sit, ita etiam, ut vilissimam dare possit, §. *Si quis agens 23. vers. Præterea si quis generaliter. Instit. de Act. l. 52. ff. mand.* Secus est in legato debito, in quo electio est legatarii, §. *Si generaliter Instit. de Leg. nisi aliud testator dixerit. l. 29. §. 1. in fine l. 19. l. 43. §. ultima. ff. de Leg. 3.* Legatarius tamen neque optimum, neque pessimum eliget, & hoc ei ab herede præstabitur, *l. 37. l. 110. de Leg. 1. l. sancimus §. 1. Cod. de donat.* Ab hac generis præstatione debitorem unius speciei, vel etiam plurium, imò etiam omnium specierum; quas ipse habuit interitus non liberat: *l. incendium 11. C. si certum pet.* Genus enim perire nequit, & semper suppetunt species: licet non ipsi creditori: at certè aliis. *Phil. Matth. ad l. 5. ff. de reb. cred. Si cert. pet. (b) l. 75. §. ultim. de verb. oblig. Vult. l. 1. Iur. Rom. c. 53.* Vnde qui in genere hominem debet, solvens statuliberum non liberatur. *l. 38. §. 3. ff. de solut. Accurs. & vulgò Dd. in l. 9. ff. de statu lib.* At qui hominem in specie debet, præstando statuliberum liberatur, *dict. l. 9. §. penult. ff. de stat. lib. & l. 92. §. 1. ff. de solut. Treutler. volum. 2. disput. 29. thes. 4. sub liter. E. Pac. cent. 4. quest. 15.*

15. Speciem quoque debitam illam ipsam omnino debitor præstare tenetur, (a) adeo, ut nec compensationem eius loco obiicere queat. (b)

a) Per allegata *thes. 10. liter. A. & B.* Quid autem si species debita perierit? interitu eius debitorem planè liberari dicimus, modo nulla illius culpa præcesserit, *l. 91. de V. O.* quamvis aliqua mora interverit: dum tamen res nihilominus apud creditorem peritura fuisset, *l. si plures, §. 1. ff. de positi, l. si cum exceptione, §. sed etsi non culpa, ff. de eo, quod met. caus. l. item verberatum §. ultim. ff. de rei vindicat. Cuiacius & Duarenus in l. si ex legati 13. ff. de verborum obligation. Fachin. lib. 2.*

controv. c. 71. & l. 8. c. 101. Sed & causam morandi hoc in casu attendendam esse rectè statuit *Phil. Matth. in l. 5. ff. de reb. cred. si cert. pet. secutus Franc. Rip. in ead. nu. 28.* ut si debitor absq; justa causa, & mala fide rem tradere distulerit, interitu rei non liberetur, sed æstimationem, præstare cogatur: etsi res ista eodem fato apud creditorem peritura fuisset, propter *l. 40. ff. de hered. pet. l. 12. §. ult. ff. de pos. l. 39. §. 1. de Leg. 1. (b) l. Si non sortem 26. §. si centum ff. de cond. indeb. l. 18. in prin. ff. de pignor. act. Bronch. cent. 1. asser. 12. Pac. cent. 4. c. avliog. q. 44. Forst. l. 3. disp. 3. thes. 15. Schifordegh. tract. 2. q. 2.*

16. In alternativâ obligatione liberum est debitori, utram rem voluerit solvendam eligere: (a) unâ vero ante electionem, peremptâ, alteram præstare non recusabit; (b) nisi hæc superstes longè sit præstantior, & illa sine culpa sua perierit: quo casu ad rei interemptæ æstimationem præstandam admittitur. (c)

a) *l. 95. ff. de solut. l. 34. §. pen. ff. de contr. empt. l. 7. §. si maritus, ff. de don. inter vir. & uxor. l. 10. §. ult. ff. de iur. dot. §. si quis agens 32. vers. huic autem Instit. de act. adeò, ut si utramque per errorem solverit, adhuc eligere possit quam repetat, l. pen. C. de cond. ind. Cui obs. 35. lib. 8. (b) l. 34. §. pen. ff. de contr. empt. Schick. disp. 16. th. 1. quæst. 5. (c) l. 47. §. Itaq; si Stichus 2. ff. de Leg. 1. Briss. l. 1. de sol. p. 341. Vult. l. 1. fur. Rom. c. 53.*

17. Cæterum omnis res aut dari, aut tradi debet. Illo casu debitor non liberatur, nisi rem creditoris fecerit: (a) hoc vero possessionem saltem rei in creditorem transferre cogitur. (b)

a) *l. 75. §. ult. l. ff. de V. O. 167. ff. de R. 7.* Itaque debitor alienos nummos solvens ab obligatione non liberatur, *l. 55. l. 67. ff. de solut.* quod si communes, pro parte liberationem consequitur, *l. 1. §. 1. ff. de solut.* (b) Traditio enim datio possessionis est, definitore Cuiacio, *l. 3. l. 11. §. 2. ff. de act. empt. l. 28. ff. de V. O. Gothofred. ad l. 9. §. 3. de adquir. rer. domin. & ad l. 28. ff. de V. O. clar. & obser. Dn. Prac. D. Bocer. class. 2. disput. 1. thes. 4. & 5.* Vtrum vero, qui ad certæ rei traditionem obligatus est, præcisè eam tradere cogatur, si tradendæ eius facultatem habet, controversæ quæstionis est? Affirmativa nobis placet sententia, propter *§. alia autem donationis. v. & ad exemplum Instit. de Don. l. 11. §. 2. ff. de act. empti §. sed & certum Instit. hoc tit. l. 6. C. de rescind. vend. l. 31. in princ. ff. de reb. credit. si cert. pet. l. 68. ff. de rei vind. Latè clar. & obser. Dn. Præceptor. D. Bocer. class. 2.*

De solutione obligationis ex contractu. 11

class. 2. disput. 1. thes. 8. & D. Harpprecht. part. 2. disp. 9. th. 8. qui in utramq; partem autores complures adducunt.

18. De rei solutione haecenus. Factum quod debetur id ipsum quoque praestandum est, non aliud; (a) neque ab alio, quam debitore: (b) Quod si tamen debitor hic praestare interesse malit: ipso jure nihilominus ab obligatione liberatur. (c)

a) *l. 98. §. mihi Roma. ff. de sol. (b) l. 31. ff. d. tit. (c) l. 13. §. 1. ff. de re iud. l. 68. l. 81. in princ. l. 84. ff. de V. O. Ratio est, quia si homines liberi praecise ad faciendum cogentur, non parum inciviliter violari videretur libertas nostra, & quandam pati speciem servitutis impelleremur. l. 71. ff. de cond. & demonstr. contra quam libertas definita est in §. 1. Inst. de iure person. quod de pecuniae debito dici non potest. Duaren. in l. 13. in fine ff. de re iud. Donell. in l. 7. ff. de V. O. Anton. Faber. 6. con. 17. Gæd. de contr. & com. stip. cap. 9. concl. 4. n. 30. Sed dubitatur, an qui factum juramento promisit, praestare id praecise cogatur? Et ob juramenti religionem ad factum promissorem cogi concludimus, per text. in c. ult. Extr. Ne pral. vic. suas. c. ex rescripto, c. cum contingat, extr. de iure iur. Ant. Gomez. var. resol. tom. 2. c. 10. nu. 22. vers. quartus casus est. Viv. l. 2. com. op. concl. 200. n. 2. vers. obligatus Gæd. d. concl. 9. nu. 76. & seqq.*

19. Sicut autem id ipsum, quod debetur, solvendum est: ita eo quoque, quo debetur, modo, loco & tempore solvi necesse est. Modus igitur solutionis est, ut debitum naturaliter, id est, realiter praestetur: (a) Et ut totum, non per partes; quamvis tale esset, quod pro parte volenti creditori solutum, pro parte etiam liberationem esset allaturum. (b)

a) Quando scilicet in conspectu creditoris, aut alius, vicem eius gerentis debitor rem ipsam creditoris esse facit, & potestati subjicit, *l. 49. l. pen. ff. de sol. Atque hac forma differt solutio à cæteris modis dissolvendæ obligationis, clar. Dn. D. Bocer. Præceptor. admodum venerand. class. 4. disput. 19. thes. 32. (b) Particularis enim solutio non minima incommoda habet, l. 3. Fam. ercisc. Alteri autem per alterum iniqua conditio inferri non debet. l. 74. & l. 83. ff. de R. I. & facit, quod lex specialiter & nominatim heredibus particulatim solvere permittit, l. 25. §. Idem iuris ff. fam. herc. Trent. vol. 2. disput. 27. thes. 5. lit. C. Denique textus est in l. 41. §. Lucius Titius ff. de usur. & in l. 9. ibi totius debita pecuniae, & c. C. de sol. l. 13. §. offerri 8. ff. de act. empt. Schneidevuin. ad §. item Inst. quibus mod. toll. obl. V. Vesenbec. parat. ff. si cert. pet. Hottoman. ill. quæstion. 20. clar.*

Dn. D. Bocer. cent. quæst. controvers. quæst. 34. & class. 4. disput. 19. thes. 31. Gæd. in l. 32. nu. 9. ff. de V. S. & in tract. de contr. & com. stip. c. 6. num. 265. & seqq. Bronch. cent. 1. asser. 17. Arum. disp. 16. exerc. 2. Guil. Forster. disput. 19. thes. 6. Fachin. controu. quæst. l. 10. quæst. 59. Prolixè Ph. Matthæus ad l. 74. & seq. ff. de R. 7. Contrariam sententiam multi ex Neotricis post Alciat. in l. quidam 21. ff. de reb. cred. si cert. pet. & Joh. Coras. ad l. 2. ff. de V. O. ubi quoque Alciatus, defendunt.

20. *Eo autem loco debitum solvi debet, quo ab initio inter creditorem & debitorum convenit, alio invito creditore non item. (a) Quod si vero nihil de loco in contractu dictum sit, tum rem certam debitor eo loco rite præstabit, in quo sita est, rem vero incertam, loco contractus, vel domicilii. (b)*

l. 1. l. is qui ff. de eo, quod cert. loc. l. usuras C. de sol. nisi nihil creditoris interfit alio loco solvi, arg. l. 38. §. 17. ff. de V. O. vel per eum mora fuerit, quo minus debitor convento loco exsolveret, l. 2. in prin. & §. ultim. ff. de eo, quod cert. loc. l. unica, ibi alterutrius interfuit, C. ubi conven. qui dar. cert. & ibi Cuiac. in Parat. clar. Dn. Præceptor D. Bocer. class. 4. disput. 19. thes. 33. vel denique ad locum propter hostem, aut aliam causam commeari non possit, argum. l. impossibilis. ff. de Reg. Iur. (b) l. 38. ubi Bartol. & alij ff. de iud. clar. & observ. Dominus Præceptor D. Bocer. dict. disputat. 19. thes. 33.

21. *Quo tempore solutio facienda sit, ex natura quoque cuiusque obligationis intelligitur. Quod enim in diem, vel sub conditione pomissum est, id existente ea die (a) & conditione (b) solvi debet. Quod autem pure debetur confestim solvendum est. (c)*

a) Quin nec antequam rota præterierit, debitor ad solvendum compelli potest. §. omnis stipulatio Institut. de V. O. l. 138. ff. de V. O. l. 42. ff. eod. Cui etiam insuper non raro, constituto tempore elapso, dilatio quædam à principe cõcedi solet, l. quoties C. de precib. Imp. offer. datis tamen prius, de completo tempore solvendo, fideiussoribus, l. universa C. d. tit. Quæ datio in praxi quinquennalis est. Trentac. præct. res. lib. 3. tit. de sol. res. 1. in jure civili quatuor mensibus determinatur. l. 2. l. 3. C. de usur. rei iud. Trentl. vol. 2. disp. 29. thes. 2. lit. k. in fine. Ante diem tamen debitor, solvere non prohibetur, l. 38. §. inter incertam 16. l. 137. §. cum ita vers. Nam & quod ff. de V. O. l. 70. ff. de sol. l. 50. ff. de O. & A. Num vero etiam invito creditori? Affirm. per proximè allegata iura. Dies enim in favorem

rem

rem debitoris adjectus est, nisi contrarium, vel nominatim expressum sit, vel aliis evidentibus argumentis appareat, *l. 17. ff. de R. Jur. ubi Matth. & l. 41. §. 1. de V. O.* Quilibet vero favori pro se introducto renunciare potest. *l. pen. C. de pact. l. si iudex. C. de min. Donell. ad l. 41. nu. 47. & seqq. §. 1. de V. O. clar. Dn. D. Harpprecht. disput. 2. thes. 3. lit. A. Vult. l. 1. Jur. Rom. c. 53. Coraf. in l. 38. §. inter 16. ff. de V. O. Bronchorst. c. 4. assert. 63. Arum. disput. 16. th. 7. Guil. Forster. disput. 19. thes. 7. Ant. Fab. lib. 1. con. c. 1. Adversantur Ferret. & Cuiac. in d. l. 38. §. 6. (b) & ante eam solutum repeti potest. l. 17. l. 48. ff. de cond. ind. (c) §. omnis stipulatio 2. Instit. de V. O. l. 14. ff. de R. I. l. 41. ff. de V. O. quod tamen cum aliquo temperamento temporis intelligendum est: nec enim cum sacco creditor adire debet. l. 105. ff. de sol. §. fin. Instit. de inut. stip. Paul. Ber. disp. 10. lib. 3. thes. 5.*

22. Solutionem ita ex juris præscripto factam effectus sequitur liberatio ab omni obligatione, (a) tam naturali, (b) quam civili, (c) tam principali, (d) quam accessoria, (e) ipso jure, non ope exceptionis. (f)

a) princ. Inst. quib. mod. toll. obl. (b) l. 98. §. naturalis 4. ff. de sol. (c) l. creditori 5. C. de pact. Donell. l. 16. com. de Jure Civil. cap. 12. p. 671. (d) d. l. 95. §. 4. (e) l. 71. ff. de Fidei. l. 3. §. fin. ff. de duob. reis. l. 43. ff. de sol. c. accessorium de R. I. in 6. l. cum princ. ff. de R. I. & l. 9. quib. mod. pign. solv. (f) d. l. 95. §. naturalis. ff. de sol. l. 5. C. de pact.

23. Celebris hic occurrit quaestio, si debitor ex pluribus causis debens, unum debitum solvat, debitoris & creditoris (a) demonstratione cessante inquam causam solutum esse videatur? Nos siquidem causae sunt dispares, in causam graviolem, (b) si pares, in omnes summas proportionem (c) solutum esse dicimus.

a) Nam in arbitrio primum est solventis dicere, quod potius debitum voluerit solutum, & quod dixerit erit solutum, *l. 1. in princ. ff. de sol. leg. 1. C. eod.* Postquam vero debitor non dixit, in quam summam solutum vellet, creditor constituere in re praesenti potest, cui potius debito acceptum ferat, qui in id constituere debet, in quod ipse, si deberet, esset soluturus: *l. 1. de sol. (b) l. 3. & l. 5. ff. de sol. (c) l. 8. ff. de sol. Don. com. de iur. civil. lib. 16. cap. 12. Wesenbec. in parat. ff. de sol. nu. 3. Briss. l. 1. de sol. p. 354. clar. Dn. Bocer. class. 4. disp. 19. th. 44. & multis seqq. Paul. Berens. l. 3. disp. 12. thes. 7. Bronchorst. c. 2. misc. quaest. 56.*

Illud

24. Illud tandem hoc loco silentio prætereundum non est. Cum non rarò fiat, ut creditor pecuniam à debitore, eam etiam congruo loco, modo & tempore offerente, accipere recuset, quo modo debitor nihilominus tam ab obligatione principali, quàm accessoria quacunque ipso jure liberetur? Id quod tum evenire statuimus, si postquam debitor pecuniam creditori presentibus testibus (a) obtulit, (b) eam in sacco, vel vase obsignatam, (c) publico in loco (d) deponat. (e)

a) *l. creditrici 6. & l. acceptam. C. de usur.* (b) *scil. realiter.* Nam non sufficit debitorem dicere se paratum esse pecuniam creditori solvere, *text. in l. 82. vers. nam non utiq³. ff. de cond. & demonstr. Dd. com. in l. si mora. sol. matrim. Aem. Ferretus in tract. de mora. nu. 28. Vide etiam Trentac. præct. res. lib. 3. tit. de oblat. Vult. Jur. Rom. lib. 1. cap. 53. Bronchorst. cent. 2. controu. quæst. 79. (c) *d. l. creditrici 6. d. l. si acceptam 19. C. de usur. l. 9. C. eod. l. 9. C. de solut. l. tutor 28. in fine. ff. de admin. tut. l. 1. §. si pecunia in sacculo 36. ff. de positi. Don. l. 16. com. c. 14. per tot. (d) hoc est, in sacratissimis ædibus, aut ubi Iudex competens super ea re aditus, deponi eam disposuerit. d. l. 19. C. de usur. l. 10. C. de pignor. l. 9. C. de sol. clar. Dn. Præc. Dn. Bocser. class. 4. disput. 19. thes. 56. & mult. seqq. Donell. l. 16. com. c. 14. Borcholt. com. in tit. C. de usur. cap. ult. nu. 6. & seqq. Briss. lib. 2. de sol. p. 408. & seqq.**

F I N I S.

venio metallico in fundo feudali repte, nūm ptineant
ad alium feudi directum, an v. ad vasallum. disp. 2. 13.
Haec nūm nomine an fisco commodum Junis Regalis p. 12.
th. 14.

Ufus mensurary an iq Junim exorano cetero possit. disp.
3. coroll. 4.

01 A 6525

ULB Halle


3

002 935 813



12

1007





B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

tio Juridica

37

DE

NE OBLIGATIO-
CONTRACTU.

V A M

favente gratiâ,

T CONSENSU AMPLIS-
um Ordinis in illustri Academia
Tubingensi,

P R Æ S I D I O

ssimi & Consultissimi Viri,

I S T O P H O.

D I, I C. E T A N T E-

E A D E M T V B I N G E N S I
eleberrimi, Præceptoris & Patroni
summe colendi,

X X V I. Augusti.

*torum publici exercitiij gra-
tij tenuitate defendere cona-
bitur.*

orus Henischius
ugustanus.

ss so

B I N G A E,

eodoricus V Verlini,

NO M. DC. XV.